

8801

1766, 28.

S P E C I M E N
I V R I S C O N T R O V E R S I
E X H I B E N S
V I M A R B I T R I I
C I R C A
D E T E R M I N A T I O N E M P R E T I I I N E M T I O N E
E T V E N D I T I O N E
Q V O D
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E
D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G
P R O F E S S O R. P U B L I C. O R D I N. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R. D V I S B V R G. S O C I O
I N A V D I T O R I O P E T R I N O
D I E V I I I. M A R T. A N N O C I I I O C C L X V I .
D E F E N D E T
I O A N N E S G O T T L O B T H E V N E R V S
B E R G S T R A S. L V S A T. S V P E R.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.



DE
VI ARBITRII
CIRCA
DETERMINATIONEM PRETII IN EMTIONE
ET VENDITIONE.

§. I.

E^t emtionem atque venditionem ex sua essentia celebrari interueniente pretio, quod certum determinatumque esse debet non minus ac iustum, tam notum est, ut nihil addi possit. Sed circa determinandi rationem esse quaedam, quae non ex omni parte certa sunt, nemo non negabit. Determinationem vero pretii constituant ipsae partes inter se de re aliqua vendenda emendaque contrahentes. Neque cuiusvis voluntas tantum attenditur, sed in computum quoque venit, quid iustum sit, ne postea nimio soluto pretio ex laesione agi possit ad rescindendum contractum. Habent vero Leges varios determinationum modos, interque eas est Relatio vel ad antecedentem venditionem, vel ad pecuniarum quantitatem, vel ad alterius arbitrium. Exemplis rem conficiamus. *V LPIANVS in L. 7. §. 1. π. de contr. emt. eiusmodi*

A 2



modi relationis ad antiquius pretium mentionem facit: sc. ut res sit emta: QVANTI TV EAM EMISTI. Et ait Vlpianus: valere emtionem: Nec alia est species, quam in eodem loc. excitat: QVANTVM PRECII IN ARCA HABEO. Conilio ex verbo pretii, absque dubio innotuisse alteri contrahentium quantitatem pecuniarum in arca reconditarum, alias forsitan dixisset: quantum pecuniae in Arca habeo: vel quantum in arca habeo: nisi prompta pernumeratio determinationem certam fieri posse putes: cum qua posteriori interpretatione magis quoque conspirant ipsius VLPIANI verba: magis enim ignoratur, quanti emitus sit, quam in rei veritate incertum est.

§. II.

Aliam relationis in determinando pretio tractat speciem idem VLPIANVS in L. 37. π. de contrah. emt. Scilicet vendiderat quis fundum iure hereditario sibi delatum, et ut pretium determinaret vendor resert se ad illud, quo a suo testatore fundus comparatus fuerat. ERIT TIBI EMTVS TANTI, QVANTI A TESTATORE EMTVS EST. Et videatur recte hanc emtionis speciem cum conditionata comparare, quasi consenserint partes contrahentes: emtum fore fundum, si appareat an emitus sit a testatore et ut tunc emitus sit eo pretio, quo emerat testator: Quapropter si appareat, donatum vel forsitan alio lucrativo titulo testatorem accepisse fundum, non emitum fore; quae latent notiones simul in verbis Icti: quasi sine pretio facta venditio, ideoque similis erit sub conditione factae venditioni, quae nulla est, si conditio deficerit. At si forsitan ducentis emerit, certum tunc determinatumque erit pretium, et dubium non est, valere omnino venditionem atque emtorem ad idem pretium soluendum esse obligatum.

§. III.

Alia determinationis ad illius certitudinem consequendam pretii sit relatio in arbitrium. Sed hic varia mihi videntur themata separanda. An sit arbitrus vel vendor, vel emtor, vel tertius isque vel certus vel incertus. De singulis speciebus argumenta examinabimus.

§. IV.



§. IV.

Primum de arbitrio in personam tertiam eamque *incertam collato*. Communis eaque certa est sententia, nunquam hoc valere compromissum ad constituendum pretium venditionis. Comprobat eam **C A I V S** in *L. 25. π. locat. cond.* Ait: *si merces promissa sit generaliter alieno arbitrio, locatio conductio contrahiri non videtur*. Quamvis autem lex de mercede locationis agat, tamen recte a locatione ad venditionem argumentum ducitur. Et vel generalis causa hanc sententiam comprobat; facile enim contingere potest, ut cum persona determinata non sit, vel novo pacto conventioneque opus sit, vel ad personam postea deuoluatur, in quam, cum rei diiudicandae aestimandae capax non sit, nunquam nec consenserint partes, nec consentire potuissent.

§. V.

Contra vero, si in certam aliquam personam compromiserint partes; non est dubium, recte dici posse, contractam esse venditionem, ea tamen ratione, ut conditionata sit, si videlicet Titius in se receperit, in quem consenserant partes pretiumque definiuerit. Quare si non receperit, nulla erit emtio atque venditio. Ira in locatione iudicauit **G A I V S cit. L. 25.** cuius argumentum ad nostram causam trahi poterit: Pergit enim: *Sin autem, quanti Titius aestimaverit: sub hac conditione stare locationem; ut si quidem ipse, qui nominatus est, mercedem defini erit, omnimodo, secundum eius aestimationem et mercedem persolui oporteat, et conductionem ad effectum peruenire: sin autem ille vel noluerit, vel non potuerit mercedem definire, tunc pro nibilo esse conductionem, quasi nulla mercede statuta.* Sed haec plana sunt. Grauior est lis, an in arbitrium alterutrius contrahentium prouocari possit. Hanc iam tractabimus causam.

§. VI.

Negant plerique qui ex praeconcepsis interpretationibus laborarunt, nec in arbitrium emtoris nec vendoris conferri posse pretii definitionem. Aduocant testem **V L P I A N U M** in *L. 7. π. de contrab. entione*, qui scriperat: *nam si arbitrium domini accipiamus, venditio nulla est.* Imo **C A I V M** in *L. 25. π. eod.* prouocant tan-



quam idoneum iudicem, cuius haec est sententia: *Illud confat, imperfectum esse negotium, cum emere volenti, sic venditor dicit, QVANTI VELIS, QVANTI AEQVVM PVTAVERIS QVANTI AESTIMAVERIS, HABEBIS EMTVM.* Sed licet et contra VI-
piani testimonium excipere et Caii iudicium aliquando reprobare:
Neuter enim idoneus est, ut ex eius opinione negem, valere ven-
ditionem, cuius pretii determinatio in vnius contrahentium arbitrium
collata sit. Nam cum consensu partium definiatur pretium (hic
enim non de iustitia pretii disputatur, sed de certitudine et deter-
minatione illius) dic, quaeſo! quid interest, an vnius consensu ante-
cedat definitioni, an sequatur. Nullibi enim scriptum sanctum
vel in Lege aliqua, vel in capite Veteris cuiusdam ICti deprehendi;
ut in determinatione venditor prius taxet, tupe aliquid minus offe-
rat emtor, post consentiat venditor: Exigunt Leges, consensu de-
finendum esse pretium, et definitum erit, si consenserunt, nulla ha-
bita ratione, an praecesserit, an secutus sit alterius consensus. Cae-
ne forsitan ex patriis causis prouoces ad paroemiam bieten und wieder-
bieten macht Kaufleute. Sicut mihi absurdum videtur ex paroemias
iura tradere et probare, quum potius ex iuribus explicari debeant;
ita quotidianus huius prouerbii vſus probat, agere illud potius de
iis, quibus vel videtur res venalis admodum cara, vel qui parum
studii ostendunt ad emendam aliquam rem, quos venditor hoc ac-
clamato dictorio ad emendum incitare atque allucere tendit. Quare
arbitror, emtorem ad venditoris arbitrium in definiendo pretio, hunc
contra in illius prouocare posse. Quid enim interesset, si ita eme-
ro: Titius taxat rem venalem centum: ego repono contra: dabo;
an vero si sic, tantum dabo, quantum Tu Tibi ex arbitrio Tuo
aestimaueris, Titius aiat: Centum dabis, replico: bene, centum.

§. VII.

Nec mouet me ad recedendum ab hac mea opinione, quod
dicas vel emtorem posse dein admodum exiguum definire pretium
vel venditorem nimium aestimare rei vendendaē pretium. Haec
enim obiectio non pertinet ad determinationem pretii, sed potius
ad iustitiam illius, cui rei medicinam fert Gerh. NOODT. in Com-
ment. ad Pand. L. XVIII. Tit. 1. §. 5. Poterit, inquit, iniquitas cor-
rigi boni viri arbitrio. Nam arbitrium determinandi pretium non
exclu-



7

cludit quaestionem iustitiae illius, sit a tertio aliquo vel ab ipsis adeo
consentientibus partibus definitum.

§. IX.

At vero contradicunt Vlpianus et Caius in capitibus supra scriptis? Sed iam perorabo causam, quam ex parte tractauit **N O O D T,**
cit. loc. cuius iam non repeto argumenta. Primum videamus, an
Domitus vere a nobis dissentiat? Ego sane non arbitror. Nam si
ea, quae verbis supra scriptis antecedunt, coniungimus, facile pater,
eundem de alio themate penitus egisse. Scriperat: *Sed utrum
haec est venditionis conditio, si ipse dominus putasset suo arbitrio: an
vero si arbitrio viri boni? nam si arbitrium domini accipiamus venditio
nulla est: quemadmodum si quis ita vendiderit. Si VOLVERIS: vel
siquantur sic spondeat: Si VOLVERO DECEM DABO, neque enim
debet in arbitrium rei conferri, AN SIT OBSTRICTUS.* Quis
non videt, hic non agi de pretii definitione in contrahenda emtione,
sed de consensu ipso emtionis, quatenus obliget vel non. Po-
teram enim prouocare in arbitrium boni viri tertii cuiusdam consentiente
altero contrahentium: vt definiat suo arbitrio: an contrahen-
da emtio venditione sit obligatoria nec ne. At si in contrahen-
tium arbitrium conferatur an valeat obligatio nec ne: nunquam dici
poterit, contractam esse emtionem venditionem ob deficientem
partis consensum. Ostendunt postrema verba: *an sit obstrictus.*
Quae enim esset illa emtio, quam quando vellet modo vendor
nullam dicere, vel emtio, a qua recedere pro arbitrio posset emtor.
Addo amplius urgere Vlpianum: an sit conditio iusta, quae possit
emtioni venditionie adscribi: si voluerit sc. valere vel vendor vel
venditionem vel emtor emtionem. Et negat esse conditionem,
quippe consensu utriusque contrahentis exigitur ad perficiendum
contractum, qui non adest, si placuerit, vt valor ab alterius de-
mum arbitrio pendeat.

§. IX.

Nec magis a nobis dissentit **CAIVS cit. loc.** Hic enim tan-
tum imperfectam dicit emtionem, si ita contracta sit; *quanti velis,*
quanti aequum putaueris, quanti aestimaueris, habebis emtum: nun-
quam



quam adfirmat nullam. Versatur in loco hoc explicando Gerhardus Noodt cit. loc. et propterea imperfectam putat, quod alter non in continentia acceptauerit. Sed mihi non videtur ad hanc opinionem respexisse CAIVS: Nam videamus: an aliter sentiendum sit prouocato arbitrio tertii boni Viri: Et magis est, imperfectum dicere negotium, antequam determinauerit pretium, quamvis forsitan in se receperit arbitrium. Quid ni idem applicemus ad thema Caii. Quousque enim ipse vel venditor vel emtor nondum determinauerit, quanto pretio vel velit venditam vel emitam rem, imperfecta erit venditio vel emtio, quae si quantum aequum putauerit vel venditor vel emtor, determinando pretium, statim perficietur. Et hinc magis est, ut a vulgari illa nulloque iure submixa opinione recedamus, et affirmemus, posse et pretii determinationem in arbitrium vnius contrahentium conferri, cui nostrae opinioni praeter laudatum Noodtum et alios assentientem quoque deprehendimus.

STRYVIVM in *Evolutionibus Controversiis Exercit. XXIII. p. 315.*

T A N T V M.



Leipzig, Diss. 1766 A 6



TA-OC

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

880

1766, 28.

S P E C I M E N

I V R I S C O N T R O V E R S I

E X H I B E N S

V I M A R B I T R I I

C I R C A

D E T E R M I N A T I O N E M P R E T H I N E M T I O N E
E T V E N D I T I O N E

Q V O D

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A

P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S O R. P V B L I C. O R D I N. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R. D V I S B V R G. S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

D I E V I I I. M A R T. A N N O C I C I O C C L X V I.

D E F E N D E T

I O A N N E S G O T T L O B T H E V N E R V S

B E R G S T R A S. L V S A T. S V P E R.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.